

quisquis in domo sua et in vicinia sua, cum eo cum quo habet alicujus necessitudinis et charitatis vinculum, moneatis, suadeatis, doceatis, corripiatis; comminationibus etiam quibuslibet a tantis malis coercetis: ut aliquando Deus misereatur, et finem det humanis malis, et non secundum peccata nostra faciat nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuatur nobis¹, sed quantum distat ortus ab occidente, longe faciat a nobis peccata nostra; et propter honorem nominis sui liberet nos, et propitius sit peccatis nostris², ne forte dicant gentes; Ubi est Deus eorum?

SERMO CCCIII³.

In Natali Martyris Laurentii, II.

I. BEATI Laurentii illustre martyrium est, sed Romæ, non hic: tantam enim video vestram paucitatem. Quam non potest abscondi Roma, tam non potest abscondi Laurentii corona. Sed quare adhuc istam civitatem late-ret, scire non possum. Ergo pauci audite pauca: quia et nos in hac lassitudine corporis et æstibus non possumus multa. Diaconus erat, secutus Apostolos: tempore post Apostolos fuit. Cum ergo persecutio, quam modo ex Evangelio audistis prædictam fuisse Christianis, Romæ, sicut in cæteris locis, vehementer arderet, et tanquam ab Archidiacono postulatæ essent res Ecclesiæ; ille respon-disse fertur: « Mittantur mecum vehicula, in quibus ap-

¹ Psal. cii, 10-12. — ² Id. lxxviii, 9, 10. — ³ Alias de Diversis 123.

» portem opes Ecclesiæ. » Aperuit fauces avaritia: sed sciebat quid faceret sapientia. Continuo jussum est: quot vehicula poposcit, tot ierunt. Poposcit autem multa: et quanto plura erant vehicula, tanto erat major spes prædæ corde conceptæ. Implevit vehicula pauperibus, et reversus est cum eis: et dictum est ei: Quid est hoc? Respondit: « Hæ sunt divitiæ Ecclesiæ. » Illusus perse-cutor flammam poposcit; sed non erat ille frigidus, ut flammam timeret: ardebat pene¹ furore, sed plus anima charitate. Quid pluribus? Craticula admota est, et tostus est. Et cum ex uno latere arsisset, dicitur tanta tran-quillitate illa tormenta tolerasse, ut impleretur in eo quod modo in Evangelio audivimus: « In patientia vestra pos-sidebitis animas vestras². Denique flamma ustus, sed patientia tranquillus, « Jam, inquit, coctum est; quod » superest, versate me, et manducate. » Tale duxit mar-tyrium: ista gloria coronatus est. Beneficia ejus Romæ tam clara sunt, ut numerari omnino non possint. Iste est de quo dixit Christus: « Qui perdidit animam suam » propter me, salvabit eam³. » Salvavit eam per fidem, salvavit per contemptum mundi, salvavit per martyrium. Quanta est gloria ejus apud Deum, dum tanta est laus ejus apud homines?

II. Sequamur vestigia ejus fide, sequamur et contemptu mundi. Non solum Martyribus præmia promittuntur cœlestia, sed etiam integra fide et perfecta charitate Chris-tum sequentibus. Nam inter Martyres honoratus est, ipsa veritate pollicente, ac dicente: Nemo est qui reliquat do- » mum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, » aut filios, et non recipiat septies tantum in isto tempore, » in sæculum autem futuro vitam æternam habebit⁴. » Quid est gloriosius homini, quam sua vendere, et Chris-

¹ Forte poenæ. — ² Luc. xxi, 19. — ³ Id. ix, 24. — ⁴ Matth. xix, 29.

tum emere, offerre Deo acceptissimum munus, incorruptam virtutem mentis, incolumen laudem devotionis; Christum comitari, cum venire coeperit vindictam de inimicis recepturus; lateri ejus assistere, cum sederit iudicaturus; cohæredem Christi fieri, Angelis adæquari, cum Patriarchis, cum Apostolis, cum Prophetis, coelestis regni possessione lætari? Has cogitationes quæ persecutio potest vincere, quæ possunt tormenta superare? Dura, fortis, et stabilis religiosis meditationibus fundata mens, et adversus omnes Zabuli terrores et minas mundi animus immobilis perstat, quem futurorum fides certa et solida corroborat. Clauduntur oculi in persecutionibus: sed patet cœlum. Minatur Antichristus, sed tuetur Christus. Mors infertur, sed immortalitas sequitur. Occiso mundus eripitur, sed restituto paradus exhibetur. Vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas et quanta securitas exire hinc lætum, exire inter pressuras et angustias gloriosum; claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus; aperire eos statim, ut Deus videatur, etiam feliciter migrando. Quanta velocitas? Terris repente retraheris, ut regnis coelestibus reponaris. Hæc oportet mente et cogitatione complecti, hæc die ac nocte meditari. Si talem persecutio invenerit Dei militem, vinci non poterit virtus ad prælium prompta. Vel si accersitio ante pervenerit; fidei, quæ erat ad martyrium præparata, sine damno temporis, merces Deo iudice redditur. In persecutione militia, in pace constantia coronatur.

SERMO CCCIV¹.*In solemnitate Laurentii Martyris, III.*

I. BEATI Laurentii triumphalem diem, quo calcavit mundum frementem sprevit blandientem, et in utroque vicit diabolum persequentem, hodiernum nobis Ecclesia Romana commendat. Quam gloriosa enim, et quanta virtutum multitudine, quasi florum varietate, distincta Laurentii Martyris sit corona, universa testis est Roma. In ipsa enim Ecclesia, sicut soletis audire, Diaconii gerebat officium. Ibi sacrum Christi sanguinem ministravit: ibi pro Christi nomine suum sanguinem fudit. Ad mensam potentis prudenter accesserat. Ad illam mensam, de qua nobis modo Salomonis proverbium loquebantur, ubi scriptum est: « Sisederis coenare ad mensam potentis, cognos- » cens intellige quæ apponuntur tibi; et sic extende ma- » num tuam, sciens quoniam similia te oportet præpare². » Hujus coenæ mysterium beatus apostolus Joannes evidenter exposuit, dicens: « Sicut Christus pro nobis ani- » mam suam posuit, sic et nos debemus animas pro » fratribus ponere³. » Intellexit hoc, fratres, sanctus Laurentius⁴; intellexit, ac fecit: et prorsus qualia sumpsit in illa mensa, talia præparavit. Amavit Christum in vita sua, imitatus est eum in morte sua.

II. Et nos ergo, fratres, si veraciter amamus, imitemur. Non enim meliorem reddere poterimus dilectionis fructum,

¹ Alias de Diversis 37. — ² Prov. xxiii, 1. — ³ I Joan. iii, 16. — ⁴ Cod. Cass. cix, fol. 94: Intellexistis hoc sacramentum, fratres mei? Beatus Laurentius intellexit, etc.

quam imitationis exemplum. « Christus enim pro nobis » passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur » vestigia ejus¹. » In hac sententia vidisse videtur apostolus Petrus, quod pro his tantum passus est Christus, qui sequuntur vestigia ejus, neque prosit quidquam Christi passio, nisi illis qui sequuntur vestigia ejus. Secuti sunt eum Martyres sancti, usque ad effusionem cruoris, usque ad similitudinem passionis: secuti sunt Martyres, sed non soli. Non enim postquam illi transierunt, pons incisus est; aut postquam ipsi biberunt, fons ipse siccatus est. Quæ est enim spes fidelium bonorum, qui vel sub foedere conjugali jugum matrimonii caste et concorditer ducunt, vel sub continentia viduali domant carnis illecebras, vel etiam sanctitatis apicem celsius erigentes et in nova virginitate florentes sequuntur agnum quocumque ierit? Quæ istis, inquam, quæ nobis omnibus spes est, si non sequuntur Christum, nisi qui pro ipso sanguinem fundunt? Perditura est ergo filios suos, quos tanto fecundius, quanto securius tempore pacis enixa est mater Ecclesia? Quos ne perdat, oranda est persecutio, oranda tentatio? Absit, fratres. Quomodo enim potest orare persecutionem, qui quotidie clamat: « Ne nos inferas in tentationem²? » Habet, habet, fratres, habet hortus ille Dominicus, non solum rosas Martyrum, sed et lilia virginum, et conjugatorum hederas, violasque viduarum. Prorsus, dilectissimi, nullum genus hominum de sua vocatione desperet: pro omnibus passus est Christus. Veraciter de illo scriptum est: « Qui vult omnes homines » salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire³. »

III. Intelligamus ergo præter effusionem cruoris, præter periculum passionis, quomodo Christum debeat sequi Christianus. Apostolus dicit, loquens de Domino Christo;

¹ 1 Petr. II, 21. — ² Matth. VI, 13. — ³ 1 Tim. II, 4.

« Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est » esse æqualis Deo. » Quanta majestas! « Sed semetipsum » exinanivit, formam servi accipiens in similitudinem » hominum factus, et habitu inventus ut homo¹. » Quanta humilitas! Humiliavit se Christus: habes, Christiane, quod teneas. « Christus factus est obediens: » quid superbis? Quo usque factus est obediens Christus? Usque ad incarnationem Verbi, usque ad participationem mortalitatis humanæ, usque ad trinam diaboli tentationem, usque ad irrisionem populi Judæorum, usque ad sputa et vincula, usque ad alapas et flagella: si parum est, « Usque ad mortem; » et si adhuc aliquid etiam de genere mortis addendum, « mortem autem crucis. » Habemus tale humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum. Quid ergo intumescis, o homo? O pellis morticina, quid tenderis? O sanies foetida, quid inflaris? Anhelas, doles, æstuas, quia nescio quis tibi fecit injuriam. Unde tu flagitas ultionem, sitis arenti fauce vindictam; nec prius ab intentione desistis, donec de illo qui te læserit, vindiceris? Si Christianus es, expecta regem tuum: prius se vindicet Christus. Nondum enim vindicatus est, qui pro te tanta perpressus est. Et utique illa majestas posset vel nihil perpeti, vel continuo vindicari. Sed cum esset in illo tanta potentia, ideo fuit etiam tanta patientia: quia pro nobis est passus, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Videtis certe, dilectissimi, quia præter effusionem cruoris, præter vincula et carceres, præter flagella et ungulas, sunt multa in quibus sequi possumus Christum. Deinde hac humilitate decursa, et morte prostrata, ascendit Christus in cœlum: sequamur eum. Audiamus Apostolum dicentem: « Si consurrexistis cum Christo, » quæ sursum sunt, sapite, ubi Christus est in dextera

¹ Philip. II, 5, et Florus ibidem.

» Dei sedens, quæ sursum sunt quærite, non quæ super
» terram ¹. » Quidquid delectabile de temporalibus rebus
mundus ingesserit, respuatur : quidquid infremuerit as-
perum atque terribile, contemnatur. Et qui sic agit, non
dubitet Christi se cohærere vestigiis, ut merito dicere
audeat cum apostolo Paulo : « Conversatio nostra in coelis
» est ². »

IV. Sed tunc potest in istis esse virtus invicta, si non
sit charitas ficta. Ille ergo dat nobis veram virtutem, qui
diffundit in nostris cordibus charitatem ³. Quando autem
beatus Laurentius appositos extrinsecus ignes non timeret,
nisi intus flamma charitatis arderet? Ideo, fratres mei,
gloriosus Martyr atroces incendiurum flammam non perti-
mescebat in corpore, quia ardentissimo cœlestium gau-
diorum desiderio flagrabat in mente. In comparatione
fervoris, quo pectus ejus ardebat, exterior persecutorum
flamma frigebat. Quando enim ferret tantorum aculeos
dolorum, nisi æternorum diligeret gaudia præmiorum?
Postremo quando contemneret istam vitam, nisi amando
meliorem vitam? « Et quis nocere vobis potest, ait apos-
» tolus Petrus; quis, inquit, nocere vobis potest, si boni
» amatores fueritis ⁴? » Faciat in te licet persecutor ma-
lum : tu ne deficias amando bonum. Si enim vere quod
bonum est, toto corde dilexeris, omne malum patienter
et æquanimiter sustinebit. Quid enim beato Laurentio illa,
quæ a persecutoribus illata sunt, tormenta nocuerunt? nisi
quod eum clariorem ipsis suppliciis reddiderunt, et hunc
nobis festivissimum diem de pretiosa ejus morte fecerunt.

¹ Coloss. III, 1, 2. — ² Philip. II, 20. — ³ Rom. V, 5. — ⁴ 1 Petr. III, 13.

SERMO CCCV¹.

In solemnitate Martyris Laurentii, IV.

Habitus ad Mensam S. Cypriani.

I. AGNOSCIT fides vestra granum, quod in terram ce-
cidit, et mortuum multiplicatum est. Agnoscit, inquam,
hoc granum fides vestra, quia ipsum habitat in mente
vestra. Hoc enim quod de se ipso dixerit Christus, nullus
ambigit Christianus. Sed plane illo mortuo grano et mul-
tiplicato, multa grana sunt sparsa in terram ² : ex quibus
est et beatus Laurentius, cujus seminationem hodie cele-
bramus. De illis autem granis sparsis toto orbe terrarum,
quanta pullulaverit seges videmus, gaudemus, sumus : si
tamen et nos per illius gratiam ad horreum pertinemus.
Neque enim ad horreum pertinet, quidquid in segete est.
Eadem quippe pluvia utilis et nutritoria, et triticum pas-
cit et paleam. Absit ut simul utrumque in horreo recon-
datur; quamvis simul utrumque in agro nutriatur, et simul
utrumque in arca trituretur. Nunc tempus eligendi est.
Antequam veniat ventilatio, fiat morum separatio : sicut
in arca, granum adhuc mundatione discernitur, nondum
ventilabro ultimo separatur.

II. Audite me, grana sancta, quæ hic esse non dubito ;
nam si dubito, nec ipse granum ero : audite, inquam, me ;
imo audite primum granum per me. Non ametis in hoc

¹ Alias 26 ex Sirmondianis. — ² Joan. XII, 24.

sacculo animas vestras: nolite amare, si amatis; ut non amando servetis; quia non amando plus amatis. « Qui » amat in hoc sæculo animam suam, perdet eam¹. » Granum loquitur, granum quod in terram cecidit, et mortificatum est ut multiplicaretur, loquitur: audiatur, quia non mentitur. Quod admonuit, ipse fecit: instruxit præcepto, præcessit exemplo. Non amavit Christus in hoc sæculo animam suam; ideo venit, ut hic perderet eam, pro nobis poneret eam, et cum vellet resumeret eam. Sed quia ipse sic erat homo, ut et Deus esset: Christus enim est Verbum, anima, et caro, Deus verus et verus homo; sed homo sine peccato, qui auferret mundi peccatum: majoris erat utique potestatis, ut posset veraciter dicere: « Potestatem » habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo » iterum sumendi eam: nemo tollit eam a me; sed ipse » pono eam a me, et iterum sumo eam². » Cum esset ergo tantæ potestatis, quare dixit: « Nunc anima mea turbata » est³? » Homo Deus tantæ potestatis quare turbatur, nisi quia in illo imago est nostræ infirmitatis? « Potestatem » habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo » iterum sumendi eam. » Quando hoc audis a Christo, ipse est in se: quando hoc, inquam, audis a Christo, ipse est in se. Quando anima ejus morte propinquante, turbatur, ipse est in te. Etenim corpus ejus Ecclesia non esset, nisi et in nobis ipse esset.

III. Attende ergo Christum: « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam: nemo tollit eam a me. Ego dormivi. » Hoc enim dicit in Psalmo: « Ego dormivi. » Tanquam diceret: Quid fremunt? quid exultant? quid ventilantur lætitia Judæi, quasi ipsi aliquid fecerint? « Ego dormivi. Ego, » inquit, » ego qui potestatem habeo ponendi animam

¹ Joan. xii, 23. — ² Id. x, 18. — ³ Id. xii, 27.

meam, ponendo eam « Dormivi, et somnum cepi. » Et quoniam potestatem habebat iterum sumendi eam, adjunxit: « Et exurrexi. » Sed dans gloriam Patri: « Quoniam Dominus, inquit, suscepit me. » Hæc verba ubi ait, « Quoniam Dominus suscepit me¹, » non sic occurrant mentibus vestris, quasi corpus suum non suscitaverit ipse Christus. Suscitavit eum Pater, suscitavit et ipse se ipsum. Unde docebimus quia suscitavit et se ipsum? Recole quid dixit Judæis: « Solvite templum hoc, et in tri- » duo suscitabo illud². » Sic ergo Christum intellige potestate natum ex Virgine, non conditione, sed potestate: potestate mortuum, potestate sic mortuum. Ad bonum suum utebatur nescientibus malis, et frementem populum insanum in usum suæ virtutis ad nostram beatitudinem transferebat, et in his a quibus moriebatur, suos victuros secum videbat: et videns eos in insano populo adhuc insanos: « Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt³. » Ego, inquit, ego medicus tango veniam, de ligno ægrotos inspicio; pendeo, et tango; morior, et vivifico; sanguinem fundo, et inde inimicis meis medicamentum salutis conficio. Sæviunt et fundunt: credent et bibent.

IV. Ipse ergo Christus Dominus et salvator noster, caput Ecclesiæ, natus ex Patre sine matre, ipse, inquam, Dominus et salvator noster Jesus Christus, quantum ad ipsum pertinet, potestate posuit animam suam, potestate resumpsit eam. Ad hanc potestatem non pertinet proprie, « Anima mea turbata est⁴. » Nos in se transfiguravit, nos vidit, nos inspexit, nos fatigatos suscepit et fovit; ne forte quando veniret alicui membro ejus ultimus dies, quo ista esset vita finienda, turbaretur per infirmitatem, et despe-

¹ Psal. lxxviii, 6. — ² Joan. ii, 19. — ³ Luc. xxiii, 34. — ⁴ Joan. xii, 25.

raret salutem, et diceret se ad Christum non pertinere, quoniam non sic præparatus esset ad mortem, ut nulla in illo perturbatio exoriretur, nulla tristitia mentem devotissimam nubilaret. Quoniam ergo periclitarentur membra ejus desperatione, quando propinquante morte aliquis turbaretur, nolens finire miseram vitam, piger inchoare nunquam finiendam; ne ergo desperatione frangerentur, ipsos infirmos suos intendit, ipsa membra sua ultima non valde fortia collegit in sinum suum, ipsa non valde fortia tanquam gallina texit pullos suos; et tanquam alloquitur eos: « Nunc anima mea turbata est. » Agnoscite vos in me, ut quando forte turbati fueritis, non desperetis, sed ad caput vestrum revocetis aspectum, et dicatis vobis: Quando Dominus dicebat: « Anima mea turbata est, » nos in illo eramus, nos significabamur. Turbamur, sed non perimus. « Quare tristis es anima mea, et quare con- » turbas me¹? » Non vis finire miseram vitam? Tanto est miserior, quanto et misera amata est, et non vis finire: minus esset misera, si non amaretur. Qualis est beata vita, quando sic amatur misera vita, tantum quia vocatur vita? « Quare ergo tristis es, anima mea, et quare con- » turbas me? » Habes quid agas. Defecisti in te? « Spera » in Domino. » Turbaris in te? « Spera in Domino, » qui te elegit ante mundi constitutionem, qui te prædestinavit, qui te vocavit, qui te impium justificavit, qui tibi glorificationem sempiternam promisit, qui pro te mortem non debitam sustulit, qui pro te sanguinem fudit, qui te in se transfiguravit, quando dixit: « Anima mea turbata est. » Ad illum pertines, et times? Et aliquid tibi nociturus est mundus, pro quo mortuus est, per quem factus est mundus? Ad illum pertines, et times? « Si Deus pro nobis, » quis contra nos? Qui proprio Filio non pepercit, sed

¹ Psal. XLII, 5.

» pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non et cum » illo omnia nobis donavit¹? » Resiste perturbationibus, ne consentias amori sæculi. Titillat, blanditur, insidiatur: non ei credatur, Christus teneatur.

SERMO CCCVI².

In Natali Martyrum Massæ candidæ (4).

I. SICUT audivimus, et cantando respondimus: « Pre- » tiosa est mors sanctorum Domini, sed in conspectu » ejus³, » non in conspectu insipientium. « Visi sunt enim » oculis insipientium mori, et æstimata est malitia exitus » illorum⁴. » Malitia in latino sermone non eam signifi- » cationem habere solet, quam habet in ea lingua, qua Scrip- » tura locuta est. Malitia enim in latina lingua dici solet, » qua mali sunt homines: illa autem lingua malitia dicitur » etiam malum, quod patiuntur homines. Malitia ergo isto » loco poena intelligitur. Hoc itaque dixit: « Visi sunt ocu- » lis insipientium mori, et æstimata est poena exitus illo- » rum: illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus » tormenta passi sunt, » hæc est malitia, « Spes eorum, » inquit, immortalitate plena est, et in paucis vexati, in » multis bene disponentur. Non enim condignæ sunt pas- » siones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ reve- » labitur in nobis⁵. » Sed donec reveletur abscondita est. Et quoniam abscondita est, ideo « Visi sunt oculis insi- » pientium mori. » Sed numquid quia abscondita est,

¹ Rom. 31 et 32. — ² Alias de Diversis 112. — ³ Psal. cxv, 15. — ⁴ Sap. III, 2. — ⁵ Rom. VIII, 18.